



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

An sanctis ieiunamus vel Deo. tit. 220.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

## AN SANCTIS IEIUNAMUS

vel Deo.

## TITVLVS CCXX.



**O**TANDVM primò, quòd omne ieiunium propter Deum fit, hoc enim opus Christus fecit, Matth. 4. Et docuit quoque, Matth. 6. atque præmium patris proponit, Causa igitur ieiunij, Deus est.

Nullus sanctorum præcipit sibi ieiunari aut feruari, sed Deus per hoc medium ieiunij præstat mercedem, Ioël. 1. Sanctificate ieiunium, &c. Tob. 12. Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna. Hæstet ieiunio à Deo impetrat liberationem populi, Hest. 4. Niniuite, Ionæ 3. Et propheta Zacharias docet de ieiunio, cap. 5. 6. 7. 8. Sic nos quatuor tempora ieiunamus **DEO** pro aëris temperie & temporum tranquillitate.

Sic quadragesimam ad imitandum Christum, Mat. 4. Luc. 4. Non igitur ieiunamus sanctis, sed ad honorem & humiliationem coram Deo, 1. Petr. 5. Humiliamini sub potèti manu Dei, vt ipse vos &c. Omnis igitur nostra oratio, ieiunium, cultus, abstinentia, quid aliud sunt, nisi nostra humiliatio? Deus neq; sancti indigent, sed nos indigemus, & Deus respicit ad corda humiliata, Psalm. 50. Ideò quòd in ferijs sanctorum & vigilijs ieiunamus, non ad sanctos dirigitur hoc opus, sed ad Deum, vt hoc medio nos velit donare etià gratis & beneficijs, sicuti sanctum hunc. Sic humiliandi gratia à carnibus & quibusdam cibis abstinemus: sed hæc omnia inuertit hæretica inuidia. Ecclesia docet, solum Deum esse causam, cur omnia fiant, & memoriam sanctorum solum habere.

Secundò, quòd ieiunium solum fieri debeat in finem politicum, id est, nè corpus grauetur propter sanitatem, &cæ. sicuti medici ægrotis persuadent, & quòd ob nullam causam aliquid à **DEO** promerendi

rendi fieri debeant, falsum est. Nam Propheta Sam. 1. Regum. 7. in Masphat præcipit ieiunium, & iubet populum dicere, Peccauimus tibi Domine. & cæter. Et iram Dei placauerunt, & inimicos Philistæos vicerunt. Sic à pœna temporali, id est, bello, & cæter. ieiunauit rex Achab. 3. Reg. 12. cum occidisset Naboth. & cæter. Ieiunat omnis populus, et liberatur ciuitas ab Holoferne, Iud. 4. Et à malo consilio Iudæi Amā, Hester. 4. Et Niniuitæ liberantur Ionæ 3. & cæter. Ergo ieiunium meritorium est, per quod Deus distribuit & temporalia & æterna beneficia propter Christum, Et Christus Mat. 6. inquit, Patrem reddere mercedem.

Tertiò, omnes penè hæretici ieiunium vilipendebant, Montanus quadragesimam, Arriani præcepta Ecclesiæ de ieiunijs, Iouinianus comedentem & ieiunantem inter se æquabat. Et hæc omnia ante annos mille facta sunt. At Ecclesia Catholica iubet & docet non contemnere ieiunia, etsi neminem etiam infortiorum compellit ad ieiunium, & cæter. Est enim Sabbata efficax circa gulam vt homines prosternat, sicut fecit primis parentibus, Genes. 3. Est igitur ieiunium nihil aliud, nisi quædam humiliatio coram Deo, & medium, per quod Christus dicit, Patrem reddere præmium & gratiam Matthæ. 6. Et Christus Marc. 9. dicit hoc genus dæmoniorum expelli ieiunio & oratione, id est, tentationes vehementes sathanæ, & cæter. Abstinentiæ etiam à quibusdam rebus propter Deum plurimum placent Deo, & habent sua præmia. Vide Iacobi Tit. 225.

## ORATIONES AD SAN.

*Etos an sint iusta.*

## TITVLVS CCXXI.

**P** R I M ò, fiduciam orandi & loquendi cum DEO, ipse CHRISTVS nobis impetrauit, qui iubet petere in nomine suo patrem, Ioann.